

Doc. 19

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 19

[1259?]

Manfredus etc. iustitiario etc.

Ad regie prefecture fastigium providentia divina vocati, more consulti patrisfamilias, cui debet inesse [cura] de subditis, inter sollicitudines alias nostris sensibus inherentes, continua reddimur cordis pulsatione pervigiles, qualiter regnum nostrum, quod preterurbationis preterite tumultus innumeros, non sine multis persone nostre laboribus, in plurium siquidem iniuriam populorum, omnimoda pacis tranquillitate nunc fruitur, et ubertate rerum victualium naturaliter gloriatur, prudentum fulcimento virorum, per quos tute rerum geruntur officia, nostris artificiose temporibus ampliare possimus, ut fideles regnicole ad artium erudimenta famelici, per aliena, ut assolent, studia mendicare suffragia non coacti, paratam in regno mensam refectionis inveniant, et tamquam domesticis fulta dogmatibus, eructantia ex hoc in illud eorum promptuaria plena fluant. Ad hoc enim nos progenitoris nostri clara prioritas laudabilibus invitat exemplis, qui virtuose mentis argumento compositus, sic statuit in regni pomerio scientiarum virgulta concrescere, ut viros ibidem in qualibet facultate peritos, non solum ut incolas filios gratia proprie suavitatis imbueret, sed ad remotas et exteris nationes de cisternis suis aquas effunderet labiis sitibundis. Sicque dum contigit in hiis cause munimenta deficere, ceperunt causata diminui, et tot regnum ex cultorum inopia sentire iacturas ut impudenter rogare cogatur ab aliis quod habundanter solebat aliis erogare.

Cupientes igitur super hoc paternis inherendo vestigiis, tam predictorum gratam renovare memoriam, quam regnum ipsum gratis novitatis nostre primordiis decorare, universale studium in civitate Neapolitana,

consulta nuper deliberatione prehabita, providimus reformandum ut civitatis locus profecto maris et terre fecunditate preclarus, ubi studendi congruentia se quevis habilitant, edificata in sapientia sibi domo et repletis in doctrina cellariis, docentium et addiscentium oculis se prebeat liberalem, ac velut mater fecunda gygnasii, que videbatur iam ex desuetudine pariendi senescere, per doctrinale commercium ad puerperium iuvenescat, particularibus scholis ubique per regnum generaliter interdictis, excepto studio medicine in civitate Salerni, quod exerceri nobis placet ibidem, sicut predicti patris nostri temporibus extitit consuetum. Ad quod tam celebre quam solemne convivium magistros quoslibet et scholares in qualibet facultate studentes libenter et hilariter invitamus, firmiter promittentes eisdem quod privilegia, libertates et bonos usus, quibus umquam temporibus felicitis memorie domini patris nostri uti et gaudere sunt soliti, faciemus in studio ipso morantibus tenaciter observari.

Quocirca fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus, quatenus, sicut gratiam nostram diligis et honorem, statim presens nostre iussionis oraculum per civitates et loca singula iurisdictionis tue, ut nullus de ignorantia sumptuum materiam excusationis inveniatur, studeas publicare.

2

3

Per effettuare la correzione del testo trådito dal ms. ci si è basati su quanto viene detto anche nelle lettere 13 e 15: per la lettera 13, il ms. P, c. 74r, scrive *vitalium*.

Simile espressione si trova anche nei docc. 13 e 15.